



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 131. Vidi Fabri Pibracii obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul XVI. tuum oratione funebri commendabat.
A.C. 1584. Hic idem Henrici II. regimine ad finem vergente Regis indignationem incurrebat, Rex tamen cognito errore suo postea illum innocentem declaravit, pristinaeque dignitati restituit, quamvis Paulus ex eo tempore semper Curiae Romanæ suspectus esset, donec debitum erga summum Pontificem obsequium, ac submissionem luculentius testaretur. Huic Præsuli, dum Romæ agebat, a secretis erat celebris. Ossatus postea Cardinalis, qui etiam Pauli Fœxii epistolas collegerat.

§. CXXXI.

Vidi Fabri Pibracii obitus.

Thuan. l. c. **A**lter erat Vidus, seu Guido Faber Pibracius, cujus sæpius in Historia nostra meminimus. Hic quartus Petri Fabri Puiolii, ac in Tolosana Curia Præsidis Filius Parisiis evoluti studiorum curriculo Italiam peragrabat, ac cujusdam Curiae Senator magnam sibi laudem promerebatur, & postea iudex fuit creatus, quo munere auctus ab Urbe Tolosana ad Aurelianensia comitia deputabatur. Ceterum Guido inter ævi sui Doctores ingenii acie longe præstantissimus, ac morum suavitate insignis latini sermonis peritia, versusque gallicos pangendi facilitate eminebat.

nebat, unde Carolus IX. cognito hujus Sæcul XVI.
A.C. 1584.
 Viri merito eundem ad Tridentinam Synodum Oratorem unacum Arnaldo Ferrerio decernebat, ubi Pibracius Regni gallici jura strenue propugnabat, simulque Henricum II., qui Polonici sceptri possessionem accepturus eo contenderat, in hoc Regnum comitabatur, inde vero reversus ab eodem Henrico Rege, qui Carolo IX. Fratri suo successerat, rursus in Poloniam mittebatur, Polonos præpediturus, ne hunc Regem ab hac corona excluderent: verum irritus erat Pibracii conatus, nihilominus in Franciam redux, Curia Præses, ac Navarræ Reginae, & postea Alençonii Ducis Cancellarius renunciabatur: verum ob hanc ipsam dignitatum amplitudinem nihil nisi majorem animi moerorem conceperat ex prava gallicæ Reipublicæ administratione: unde gravi languore correptus, tædioque confectus die duodecima Maji anno Christi millesimo quingentesimo octogesimo quarto ætatis vero suæ quinquagesimo sexto vivis ereptus est, sepultus Parisiis in Ecclesia Fratrum Augustinianorum. Scripsit carmina Gallica, quæ sub nomine: *Tetrasticha Pibracii* cognita iterato prælo, diversisque versionibus celebrata fuere.

Q 2

HISTO-